

et contractum matrimonium optime sciat, oratores in gradibus inæqualibus distare, et gradum propinquiorem non expressisse, nec litteras declaratorias habere; idem docet Pontius, *de Matrim.*, lib. VIII, cap. xvii, § 5, n. 26 et 27; Tambur., *de Sacram.*, lib. VIII, cap. ix, § 7, n. 3; Gobach, in *Theolog. experiment.*, tract. IX, n. 621; Perez, *de Matrim.*, disp. 46, sect. 5, n. 7. Engel, l. IV, t. XIV, § 3, n. 10. Ratio eorum, et fundamentum præcipuum est; tum quia gradus remotior imbibit, et trahit ad se propinquiorem, arg. c. fin. de consang. Tum quia constitutio Pii IV. Vi cujus contra jus commune requirebatur ad valorem dispensationis expressio etiam propinquiore gradus, fuit revocata a Pio V, et reducta ad jus commune per constitutionem nu. 167, allegatam, ubi expresse declaratur, breve dispensationis non esse sub vel obreptitium, etsi omissa mentione gradus proximioris obtineatur; dummodo postea obtineantur litteræ declaratoriæ proximioris non obstare, uti clare patet ex tenore bullæ cit., nu. 167, allegatæ. Neque dictas declaratorias litteras esse necessarias aiunt, ad valide dispensandum, sed ad vitandum scandalum, cujus si nullum est periculum, neque ad licite dispensandum requiruntur. Ita doctores citati; num autem bene, et satis secure, patebit infra, ubi nostram de hac controversia aperiemus mentem.

171. *Quando gradus propinquus est primus a communi stipite, debet certo exprimi.* — Interea ut clarius procedamus, tanquam certum supponimus, et præmittimus ad valorem dispensationis necessario requiri expressionem propinquiore gradus, si cum remotiori concurrat primus gradus, ita ut duo conjuncti sint in primo et secundo, vel primo et tertio v. g. Sanchez, loc. cit., num. 132 et alii doctores citati cum communi. Ratio est, quia circa hoc non fuit revocata constitutio Pii IV, ad valorem dispensationis requirens expressionem propinquiore gradus, sed potius confirmata per constitutionem Pii V, supra num. 167, allegatam, uti clare patet ex tenore ejusdem, nam postquam constitutionem antecessoris corripuit, expresse addidit: dummodo primum (intellige gradum) nullo modo attingat, cum in eo sanctitas sua nunquam dispensare intendat (intellige nisi exprimat). Unde nec dantur litteræ declaratoriæ, illum non obstare, sed necessaria est vera dispensatio super eo juxta dicta n. 169. Hoc notato, ac præmisso.

172. *Propinquus gradus quicumque si non exprimitur, requiruntur ad valide dispensandum litteræ declaratoriæ illum, non obstare.* — Respondemus ad controversiam supra num. 170, propositam dicendo, quamvis omissio gradus propinquiore non vitiet, nec subreptitias reddat litteras dispensationis a curia romana obtentas (nisi sit primus juxta dicta num. præced.) tamen illas nec licite, nec valide exequi potest deputatus executor, nisi prius obtineantur, et eidem exhibeantur litteræ declaratoriæ, propinquiorem gradum non obstare, ut proin ordinarius, vel alius, cui committitur dictarum litterarum dispensationum executio, non tantum graviter peccet, sed etiam invalide agat, et nulliter dispenset; consequenter matrimonium invalidum sit, si non habitis prius præfatis litteris declaratoriis dispenset, casu quo ante contractum matrimonium scit, oratores in gradu inæquali esse conjunctos. Ita expresse docet summe practicus in curia Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. VII, cap. vii, a n. 71; Justis, *de Dispensat.*, lib. II, cap. iii, a n. 40, ambo testantes de stylo curiæ addit. Corrad., loc. cit., n. 72, ita fateri omnes practicos curiales, seque pluries observasse, matrimonia fuisse declarata nulla, quæ contracta fuere vi dispensationis sine memoratis litteris factæ. Bonacina et alii, quibus etiam adhærere videtur Barb., lib. I, *Votor. Decisiv. voto.*, 3. n. 16. Probatur responsio imprimis ex ipsa constitutione Pii V, ubi postquam declaraverit sufficere ad valorem dispensationis, si exprimat gradus remotior, illico addit: « obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis, etc. » quæ verba, quia in ablativo absolute posita sunt, videtur modum, et conditionem importare, arg. l. *Si debitor*, § 1. ff. *Quibus modis Pign. vel Hypoth.* modus autem et conditio necessario sunt implenda, arg. l. *Qui hæred.*, et l. *Mævius*, ff. *de Condit. et demonst.* ergo, etc.

Nec dicas cum Sanchez, lib. VIII, disp. 24, num. 29, illa verba obtentis tamen postea, etc., jam supponere perfectum actum dispensationis factæ, consequenter non importare conditionem. Negatur enim, quod jam supponant actum totaliter perfectum: quamvis enim jam supponant gratiam a Papa factam, seu mandatum de dispensando commissum alicui delegato, tamen non supponunt ipsam dispensationem, consequenter

nec actum, vel gratiam omnino perfectam, eo quod (uti ex copia litterarum apostolicarum, et praxi patet) Papa vi illarum ipsemet non dispense, sed tantum alicui delegato mandatum, et potestatem tribuat, ut auctoritate Papæ dispense, uti videre est in copia infra, servatis utique servandis, etiam constitutione Pii V, quatenus nempe postquam petita fuit dispensatio super remotiore postea etiam in eadem supplicatione petantur litteræ declaratoriæ, ut habet stylus curiæ juxta dicenda infra; vel si in eadem supplicatione petite non sunt, saltem postea, et antequam fiat ab execute dispensatio, petantur, et exhibeantur. Corrad., loc. cit., n. 72, ubi memorata verba conditionem importare probat etiam ex adjecta dictione, tamen, ibi obtentis tamen: nam dictio tamen de sua natura conditionem et modum importat. Barb., *de Dictionibus. Dictione tamen.*, n. 3.

173. *Probatur efficaciter ex brevi Urbani VIII.* — Probatur et quidem principaliter et efficaciter secundo ex brevi Urbani VIII, emanato, 1 novembris 1624, in quo expresse declarat officialem Toletanum (cui executionem brevis, et potestatem auctoritate Papæ more solito commiserat) invalide dispensasse, et personas consanguineas, quæ vi talis dispensationis matrimonium contraxerunt, invalide contraxisse, ac meros incestus commisisse, ex hoc solo, quod officialis præfatus dispensaverit cum illis, de quibus ante contractum matrimonium sciverat, illa esse in secundo et tertio gradu consanguinitatis conjunctas, et tamen nulla facta mentione propinquiore gradus solum remotiorem expressisse dicendo præcise, se esse in tertio gradu conjunctas; nec habere litteras declaratorias « secundum non obstare » uti magis videre est ex copia, quæ hic subjungitur.

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nostro, et sedis apostolicæ nunito Matriti commoranti salutem, et apostolicam benedictionem. Alias pro parte dilecti filii A. laici, et dilectæ in Christo filiæ C. mulieris Toletanæ diocesis nobis expositum fuit, ipsos, qui de vere nobili genere procreati existunt, ex certis rationabilibus causis animos eorum momentibus cupere invicem matrimonialiter copulari. Sed quia tertio consanguinitatis gradu invicem erant conjuncti, desiderium eorum illa in parte adimplere non posse absque sedis apostolice

dispensatione. Quare pro parte eorum A. et C. nobis humiliter supplicatum, quatenus eis in præmissis de opportuna dispensationis gratia providere de benignitate apostolica dignaremur; Nos hujusmodi supplicationibus tunc inclinati, dilecto filio officiali Toletano per alias nostras litteras dedimus in mandatis, quatenus, si preces veritate niti reperiret, cum eisdem A. et C. quod impedimento tertii consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante matrimonium inter se publice, servata forma concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodum permanere libere et licite valerent, auctoritate nostra dispensaret, prolem suscipendam exinde legitimam nuntiando, prout in dictis litteris continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum A. et C. petitio continebat, litteris præfatis dilecto officiali præsentatis, idem officialis contenta in eis verificari mandaverit, et quamvis in verificatione ipsa ei constaret ipsos A. et C. secundo, et tertio a communi stipite provenientes consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, nihilominus cum dictis A. et C. super impedimentis hujusmodi, licet nulliter, et de facto dispensavit. Cujus quidem dispensationis pretextu ipsi A. et C. matrimonium inter se per verba de præsentibus publice, servata forma concilii prædicti, nulloque detecto, neque denunciato impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizarunt, et carnali copula consummarunt, proindeque, iidem A. et C. eum in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque sedis apostolice dispensatione, etsi divortio inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verosimiliter exoriri. Quare pro parte eorumdem A. et C. nobis denuo fuit humiliter supplicatum, quatenus eis, ne dictarum litterarum frustrarentur effectu, in præmissis opportune providere de simili benignitate dignaremur. Nos igitur eisdem A. et C. ac eorum quemlibet amplioris gratiæ favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, posterioribus supplicationibus hujusmodi etiam inclinati, fraternitati tuæ per apostolica

scripta mandamus, quatenus negotium hujusmodi reassumens, litterasque præfatas valere decernens, monito prædicto officiali, ut a similibus in posterum omnino absteat, ac imposita dictis A. et C. propter incestum hujusmodi arbitrio tuo poenitentia salutari, et quatenus intra ipsos causa super præmissis in iudicium quoquomodo deducta fuerit, pariter iudicato, eisdem A. et C. si hoc a te similiter petierint, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurreunt, incestus reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro dicta auctoritate absolvas in forma Ecclesiæ consueta, ac cum eisdem A. et C. quod impedimento tertii consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, matrimonium inter se de novo publice, servata forma ejusdem concilii contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodum remanere libere, et licite valeant, eadem auctoritate dispenses. Distantiam vero secundi gradus prædicti eis non obstare declares, prolemque susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernas, ac in earumdem litterarum executione servata alias earum forma, de novo procedas in omnibus, et per omnia, perinde ac si in illis A. et C. non tertio, sed secundo et tertio a communi stipite convenientibus conjunctis gradibus minime esse conjunctos expressum, ac cum eisdem desuper dispensari, et declarari mandatum, præmissaque secuta minime fuissent. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in dictis litteris volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Tusculi anno incarnationis dominicæ 1624, nono kalend. novembris, pontificatus nostri anno secundo. »

174. *Frustra impugnatur hoc breve.* — Hoc breve apostolicum mire fatigat nostræ sententiæ adversarios n. 170, positos, inter quos Gobath, loc. cit., a n. 620 omnes vires intendit, ut illud infirmare, et in contrarium probare valeat, illo non obstante validam esse dispensationem super gradu remotiori, nulla facta mentione gradus propinquioris, nec habitis litteris declaratoriis illum non obstare; sed plane frustraneo conatu. Videamus illius et cum illo sententiarum fundamenta.

175. *Quia vere decisive, et non pure relative loquitur.* — Primo dicit, Urbanum in præfata bulla non affirmative, vel decisive, sed tantum relative loqui. Hoc fundamen-

tum non indiget refutatione, quia illud non subsistere cuius vel obiter legenti textum luce meridiana clarius patet; quamvis enim ibidem relative narraverit pontifex, quid fecerit officialis Toletanus, tamen post ea expresse declarat, illum nulliter dispensasse et nuptias inde secutas incestuosas consequenter invalidas fuisse.

176. *Urbanus VIII non correxit bullam Pii V, sed ei conformiter statuit.* — Secundo dicit, non esse credibile, quod Urbanus VIII secundo statim sui pontificatus anno abrogavit Pii V. et aliorum antecessorum constitutiones juri communi conformes. Resp. Urbanum VIII, non abrogasse Pii V, et aliorum constitutiones, sed eis conformiter egisse. Nam etiam juxta Pii V, constitutionem n. 167, allegatam dispensatio ab officiali Toletano acta fuit nulla, non quidem, quia oratores omisso propinquiori solum remotiorem gradum expressere, sed quia hoc sciens officialis dispensavit ante obtentas litteras declaratorias, ob quarum defectum etiam Urbanus VIII dispensationem illam nullam declaravit.

177. *Et quomodo?* — Hinc bene notandum Pium V tantum in hoc derogasse constitutioni Pii IV, quod hic statuerit breve dispensatorium solo expresso gradu remotiori impetratum esse ob. et subreptitiam, ipsamque dispensationem inde secutam esse nullam ex hoc solo, quia gradus propinquioris nulla facta est mentio, nil suffragantibus litteris declaratoriis postea forsitan obtentis; Pius V autem istud corrigendo statuerit, hujusmodi breve ex hoc capite non esse subreptitium, sed perinde valere, ac si gradus propinquus expressus fuisset; dummodo postea, et quidem ante matrimonium obtineantur litteræ declaratoriæ, quas expresse requirit, « obtentis tamen N. B. postea litteris declaratoriis. » Ex quo patet Pium nullatenus statuisse, uti adversarii putant, quod litteræ dispensatoriæ omisso propinquo gradu obtentæ possint executioni mandari, et ipsa dispensatio a delegato valide fieri ante obtentas, et exhibitas litteras declaratorias, sed tantum, quod ob præfata omissionem litteræ apostolicæ non sint sub vel obreptitiæ, possintque valide executioni mandari, si obtineantur (id est, post ita impetratum breve, et adhuc ante matrimonium), litteræ declaratoriæ, propinquum non obstare. Quod ipsum etiam vult, et consequenter priorum correctio non est con-

titutio Urbani VIII. Et ita interpretari bullam Pii jubent non tantum ipsa bulla, et clausula bullæ Pii V, inserta, obtentis tamen postea litteris declaratoriis, sed etiam constitutionum concordantiæ arg. c. *Cum expediat. de Elect.* in 6, quæ ex tali interpretatione genuina sequitur, ipsaque curiæ praxis, stylas et consuetudo, quæ « est optima legum interpretis, » c. VIII, *de Consuetud.*

178. *Bulla Urbani in sensu nostræ sententiæ fuit recepta, et semper in usu apud curiam.* — Si dicit tertio Gobath, esto in hoc sensu accipiatur bulla Urbani VIII, tamen non est attendenda: tum quia in illo sensu non est recepta; tum quia post aliquos annos primum a Barbosa e tenebris fuit producta; tum quia post illam plures doctores expresse docuerunt contra hunc sensum bullæ. Resp. Etiam has rationes nec quiddam probare: Non prima; quia falsum est, bullam in hoc sensu non esse receptam, cum Pyrrhus Corrad. (cui utpote in hac materia summe practica, et in curiæ per plures annos sedenti utique credendum), loc. cit., lib. VII, cap. VII, num. 72, et num. 171, expresse testetur, omnes practicos curiales juxta præfatum sensum Bullæ Urbani procedere, eique conformem esse praxim curiæ, ita, ut ipse sæpius observaverit, plures dispensationes fuisse declaratas nullas ex eo, quod in casu nostro a delegatis fuerint factæ, non habitis prius litteris declaratoriis. Ex quo corrui etiam secunda ratio; cum constet bullam Urbani VIII, juxta memoratum sensum semper fuisse in usu et vigore.

179. *Affirmat recens simile breve Innocentii X.* — Quod ut magis credant, clarisque oculis videant, adducimus recentiore aliam Urbani bullæ simillimam Innocentii X, qui sicut Urbanus VIII, declaravit delegatum a se invalide dispensasse, et nuptias inde secutas incestuosas, consequenter etiam invalidas fuisse, ex hoc solo, quod litteræ pontificiæ non expresso propinquo gradu fuerint obtentæ, et non obtentis postea litteris declaratoriis eas executioni mandarit, seu dispensarit delegatus. Uti videre ex copia sequenti:

« Innocentius episcopus, servus servorum Dei. Venerabili Fratri nostro episcopo N., Salutem, et apostolicam benedictionem. Alias pro parte dilecti filii Joannis Falconii laici, et dilectæ in Christo filiæ Annæ Sabinae mulieris Asculan. diocesis, nobis expositum fuit, prædictam Annam dotem habere

minus competentem, juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere posset, invenire nequiret, et dictum Joannem illam cum dicta minus competente in uxorem ducere, intendere. Sed quia quarto consanguinitatis gradu invicem erant conjuncti desiderium eorum ea in parte adimplere non posse absque sedis apostolicæ dispensatione. Quare pro parte eorundem Joannis, et Annæ nobis humiliter supplicatum fuit, quatenus eis in præmissis de opportuna dispensationis gratia providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos hujusmodi supplicationibus inclinati, dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri episcopi Asculan. per alias nostras litteras dedimus in mandatis, quatenus, si preces veritate niti reperiret, cum eisdem Joanne, et Anna, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publice servata forma concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodum remanere libere et licite valerent, auctoritate nostra dispensaret; prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando; prout in dictis litteris continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Joannis, et Annæ petitio continebat, litteris prædictis dicto vicario presentatis, idem vicarius contenta in eis verificari mandaverit, et quamvis in verificatione ipsa ei constaret, ipsos Joannem, et Annam tertio et quarto consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, nihilominus cum dictis Joanne, et Anna super impedimento hujusmodi, licet nulliter, et de facto dispensavit, cujus quidem dispensationis prætextu, ipsi Joannes, et Anna matrimonium inter se per verba de presenti publice, servata forma concilii prædicti, nulloque detecto, neque denunciato impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizarunt, et carnali copula consummarunt, proindeque iidem Joannes, et Anna in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque sedis apostolicæ dispensatione, etsi divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala pesent verisimiliter exoriri. Quare pro parte eorundem Joannis et Annæ nobis denunciatum fuit humiliter supplicatum, quatenus eis, nec dictarum litterarum frustrarentur effectu, in præmissis opportune providere, de similibus benignitate dignaremur. Non igitur eos

Joannem, et Annam, ac eorum quemlibet amplioris gratiæ favore prosequi volentes, et a quibusvis, etc. censentes posterioribus supplicationibus hujusmodi etiam inclinati, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus negotium hujusmodi reassumens, litterasque prædictas valere decernens, monito prædicto vicario, ut a similibus in posterum omnino absteineat, ac imposita dictis Joanni et Annæ propter incestum hujusmodi arbitrio tuo pœnitentia salutari, et quatenus contra ipsos, causa super præmissis in iudicium quoquo modo deducta fuerit, pariter iudicato, eosdem Joannem et Annam, si hoc a te humiliter petierint, a generali excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrerunt; incestus reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro, dicta auctoritate absolvas in forma Ecclesiæ consueta, ac cum eisdem Joannes et Anna, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, matrimonium inter se de novo, publice servata forma ejusdem concilii, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodum remanere libere et licite valeant, eadem auctoritate dispenses. Distantiam vero tertii gradus præfati eis non obstare declares: prolemque susceptam si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernas, ac ad earumdem litterarum executionem, servata alias earum forma, de novo procedas in omnibus, et per omnia; perinde ac in illis Joannem et Annam prædictos non quarto, sed tertio, et quarto a communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus esse conjunctos, expressum, ac cum eisdem desuper dispensari, et declarari mandatum, præmissaque minime secuta fuissent. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in dictis litteris volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ, etc. »

Et ex his abunde patet litteras dispensationis non expresso propinquiori gradu obtentas carere quidem vitio sub. et obreptionis, delegatum tamen v. g., ordinarium, non posse eam executioni mandare, seu actu dispensare, nisi prius obtineantur, et eidem exhibeantur litteræ declaratoriæ, consequenter non attendendos esse doctores contrarium docentes.

180. *Responsio ad fundamenta adversariorum.* — Ad fundamenta adversariorum jam patet ex dictis. Ad illud, quo dicitur, quod

gradus remotior trahat ad se propinquorem, gratis conceditur; quia non dicimus dispensationem esse necessariam super gradu propinquo, sed litteras declaratorias illum non obstare, quibus non habitis delegatoris concessam non habet potestatem dispensandi, consequenter invalide dispensat, juxta dicta.

181. *Pro foro interno non requiritur gradus propinqui expressio, nec litteræ declaratoriæ.* — Notandum tamen, hæc procedere de solo foro externo: nam si pro solo interno petatur dispensatio, propinquioris gradus expressio non est necessaria, nec litteræ declaratoriæ, illum non obstare. Ratio est; quia tam Pii IV, quam Pii V Constitutiones requirentes, ut etiam propinquior gradus exprimat, vel litteræ declaratoriæ obtineantur, emanatæ sunt pro solo foro externo ad evitanda scandala, et ob alias causas, quæ locum non habent, quando dispensatio petitur pro solo foro interno.

182. *Causa prolixioris discussionis.* — Cæterum placuit hanc controversiam exactius discutere, ne executores aliqui auctoritate plurium cæteroquin classicorum doctorum decepti in re tanti momenti, ubi agitur de valore sacramenti, invalide dispensent maximo cum præjudicio putative dispensatorum, utpote qui invalide copulati, in perpetuis incestibus saltem materialibus vivunt, et destituti gratis sacramentalibus, ad sustinenda onera matrimonii summe necessariis, malos effectus experiuntur.

183. *Debet exprimi, si pro causa dispensationis allegatur copula, quæ habita est sub spe facilius consequendi dispensationem.* — IV. Si super impedimento consanguinitatis petitur dispensatio, et pro causa allegatur copula, seu potius sequentia inde scandala, diffamatio mulieris, etc., illaque habita fuit sub spe facilius obtinendæ dispensationis, debet necessario exprimi, alias dispensatio erit subreptitia, et nulla, etsi una tantum pars talem spem habuerit. Patet ex dictis supra n. 55. Dicitur autem, si pro causa allegatur.

184. *Si copula non allegatur pro causa, non est necessario exprimenda juxta ad quos.* — Num autem necessario exprimenda semper exprimi etiam debeat copula cum consanguinea ante matrimonium cum, vel absque spe facilius consequendi dispensationem habita, casu quo alia legitima dispensandi causa affertur, celeberrima, et gravissima controversia est inter doctores. Justis quidem de *Dispensat.* lib. I, cap. iv, a num. 229, usque ad finem

negativam tenet, eamque per extensum probare, et fundamenta contraria refutare conatur. Eadem negativam amplectuntur Pontius, lib. VIII, cap. xvii, § 6, per totum; Diana, p. 1, tract. 10, resolut. 44, et p. 8, tract. 3, resolut. 31; Cevall., in *Specul. aureo. quæst. commun. contra commun.*, q. 737, per totum. Escobar, et alii relati a Justis, et Diana. Ratio eorum præcipua est: Tum quia nec jure (ut aiunt) nec stylo curiæ, nec ratione requiri videtur, ut copula habita exprimat, casu quo alia legitima causa dispensandi allegatur.

185. *Contrarium est verius ac probabilius.* — E contra Sanchez, lib. VIII, disp. 25, num. 8. Gutierrez, de *Matrim.*, cap. cxxiv, num. 12, et ex professo lib. I, can. quæst. cap. xv, a num. 16; Barbos., lib. II, *Votolum*, voto 17, a num. 57; Garcias, de *Benef.*, p. 8, cap. III, a num. 30; Corrad., in *Praxi Dispensat.*, lib. VII, cap. lxxi, a num. 3; Layman, lib. I, tract. 4, cap. xxii, num. 18; Bonacin., de *Legibus*, disp. 1, q. 1, punct. 5, num. 9; Marc. Anton. Genuens., in *Pract. Archiepisc. Neapolit.*, cap. xxv, num. 4, et plurimi alii cum rota *decis.* 72, num. 1, apud Farin. tom. II, *Consil. crimin.* et apud Gutierrez, loc. cit., num. 25, ac Garciam, loc. cit., docent, copulam, si jam est publica, necessario esse exprimendam, etiamsi alia causa dispensandi allegetur. Quorum sententiæ tanquam veriori, et probabiliori etiam nos subscribimus.

186. *Probatur primo ex stylo curiæ.* — Probatur hæc nostra sententia primo ex stylo Curie, de quo testatur Barb. loc. cit., num. 60; Genuens., loc. cit., num. 4; Bonacina, loc. cit., et in curia somme practicus Corrad., loc. cit., addens num. 36, ita fateri omnes curiales, quæ enim stylus curiæ exprimere vult, sunt necessario exprimenda, ut fatentur etiam adversarii, cum stylus curiæ stet pro lege arg. c. *Ex litteris de Constit. et c. quam gravi de crimine falsi.* Ratio autem educendi hunc stylum fuit, ut consanguinei, et affines arcerentur ab incestibus.

187. *Probatur ratione.* — Probatur secundo: taciturnitas veri, quo expresso papa alio modo et non nisi certis cum moderationibus concedere solet dispensationem, reddit eam subreptitiam. Sanch., lib. VIII, disp. 21, num. 17, et alii; atqui expressa copula incestuosa, alio modo, et cum certis moderationibus concedere dispensationem solet

papa, eo quod ob eandem copulam jubeat majorem imponi pœnitentiam, majoremque exigat compositionem seu taxam pecuniariam, et ita dispensatos prohibet ad alias nuptias transire, si alteruter moriatur; uti fatentur omnes ob notorium stylum curiæ: ergo, etc.

188. *Probatur ex declarationibus cardinalium.* — Probatur et quidem efficaciter tertio ex pluribus declarationibus, quas allegat Corrad., loc. cit., num. 37; Gutierrez, Barbos. loc. cit.; Garcias, num. 70, et alii. Una declaratio apud Corrad., loc. cit., num. 38, ita sonat: « Congregatio cardinalium concilii censuit dispensationem subreptitiam, si inter consanguineos, vel affines, aut spiritali cognatione conjunctos carnalis copula præcessisset, cujus mentionem in supplicatione non fecissent, etc. » prout stylus curiæ observat.

Quod intellige non tantum quando copula præcedit supplicationem pontifici porrigendam, sed etiam, si eam sequitur; imo etiam, quando contingit, postquam litteræ dispensationis a papa jam sunt concessæ, a delegato vero nondum executioni mandatæ: uti tenent doctores num. 185, citati, patetque ex declaratione infra num. 193, alleganda.

Nec valent argumenta, quibus has declarationes impugnat, et infirmare conatur Justis, loc. cit., a num. 360, ubi principaliter duo opponit. Primo, quod de eis non constat authenticè. Secundo quod non sint promulgatæ. Nam circa primum patet ex dictis lib. I, in præmio § 8, a num. 127, ubi ex Fag. in c. *Quoniam de constit.*, num. 59, ostendimus, vix ab irreverentia, et temeritate abesse, sententiam declarationibus cardinalium contrarium libere tueri: ex hoc solo, quod non afferantur in forma authentica, si in probatis collectoribus (quales utique censendi Corrad., Gutierrez, Garcias, Ledesma, etc.) fideliter allegatæ inveniuntur, et cæteroquin de earum existentia nulla probabilis dubitandi ratio apparet. Ad secundum pariter ex citato Præm. § 8, a num. 132, ubi clare ostendimus, ad hoc, ut declarationes cardinalium obligent, non requiri earum publicationem, nisi novum jus, legem, vel decretum faciant, quod non fit in allegatis declarationibus, utpote, quæ præcise declarant mentem pontificis, et stylum curiæ prius jam existentem.

189. *Probatur ex præjudicio tertii, quod inducit contraria sententia.* — Probatur quar-